



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 5. An Pater, & Filius sint vnus spirator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Filiatio constituendam secundam personam sufficienter ad subsistendum incommunicabiliter, & ad operandum, & ad spirandum refert quidem illam ad Patrem, non tamen ad Spiritum sanctum, sed refertur ad illum per relationem quasi resultantem ex processione quæ eadem omnino est cum spiratione Patris, ut supra visum est. Nulla est ergo vnica relatio, quæ constituat personam spirantem, vel spiratorem communem subsistentem relatiue, sed sola est relatio referens Patrem, & Filium, ad Spiritum sanctum, quos supponit immediate producentes eundem.

CAPVT V.

*Sitne in Patre & Filio vna & eadem
Spirandi virtus.*

1.
Sensus qua-
sitionis expo-
situr.

VNUM ex præcipuis argumentis, quod Græci aduersus Latinos semper obiecerunt, est, quia si Spiritus sanctus à Filio, & Patre procederet, duo haberet principia, quod & diuinæ simplicitati, & personarum consubstantialitati repugnare videtur. Ut ergo Ecclesia Romana illis responderet, ac satisfacere, docuit tam in Concilio Lugdunensi in capite vnico de Summa Trinitate in 6. quam in Concilio Florentino sessione 14. Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio tanquam ab vno principio. Quod dogma in hoc cap. à nobis explicandum est. Tria etiam puncta postulat. Primum, an in Patre & Filio sit vna, & eadem virtus spirandi, & quomodo necessaria sit. Secundum, quomodo dualitas personarum concurrat, vel necessaria sit ad Spiritus sancti productionem. Tertium, an cum hoc sit vera vnitas spiratoris, seu principij Spiritus sancti.

2.
Dubitandi
ratio.

Circa primum igitur ratio dubitandi est, quia vel est sermo de vnitate reali, seu numerica, vel solum de vnitate rationis: hoc posterius dici non potest, alioqui Pater, & Filius non essent re ipsa vnum principium, sed plura. Primum autem non videtur, possibile, quia virtus spirandi est quid notionale: nihil autem notionale vnum, & idem secundum rem est commune Patri, & Filio, ergo: Maior clara est, quia illa virtus non est communis omnibus personis. Minor autem videtur affirmari à Basilio, epistol. 43. dicente, *Filius nullam prorsus notionem communicationem secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu habet.* Ratione etiam ostenditur, quia licet relatio spirationis actiue communis sit Patri, & Filio, tamen illa est consequens actum spirandi, & consequenter supponit virtutem spirandi: ergo hæc virtus non includit illam relationem: ergo ratione illius non est virtus spirandi communis secundum rem Patri, & Filio, ergo solum potest esse communis secundum rationem quantum ad illud notionale, quod includit.

3.
Resolutio.

Nihilominus dicendum est, in Patre, & Filio vnam tantum esse virtutem spirandi, eandem numero, & vtrique realiter communem. Est res certa, & in ea conueniunt omnes Theologi referendi capit. 6. & 7. quia necessario sequitur ex prædicto dogmate tradito in dictis Conciliis. Nam si Pater, & Filius cum distinctione personali haberent etiam virtutes spirandi realiter distinctas, nihil superesset, propter quod dici possent vnum principium vere, ac in re ipsa, prout dicta Concilia loquuntur. Item aut virtutes illæ essent partiales, aut totales. Primum dici non potest, alias quælibet earum imperfecta esset, & neutra persona esset simpliciter principium Spiritus sancti, sed ex vtraque quasi per collectionem quandam coalesceret integrum principium Spiritus sancti. At hæc sunt plane absurda, quæ Græci inferebant, & Concilia propter illa vitanda definiunt, vtramque personam esse vnum

principium. Si vero dicatur secundum, scilicet, illas virtutes esse totales, aperte sequitur duas personas esse duos spiratores substantiue, quia ad multiplicationem substantiui nihil amplius requiritur, quam quod personæ, & formæ multipliciter. Præterea ex vnitate actus, seu originis, & termini adæquati recte etiam colligitur vna virtus tali actui proportionata, & adæquata. Denique ratio à priori est, quia hæc virtus non est aliud, quam voluntas, seu amor Patris, & Filij, ut in libr. 1. & 2. dictum est, constat autem ex dictis in libro 4. voluntatem, & dilectionem esse eandem numero in Patre, & Filio, ergo & virtus spirandi est vna. Quæ rationes non solum probant, hanc virtutem in re esse vnã, sed etiam ostendunt, eam vnitatem huius virtutis per se, & ex intrinseca ratione talis productionis esse necessariam, tum propter vnitatem simplicissimam actus, & termini eius, tum etiam quia intrinsece requirit infinitatem simplicitatis, & ideo illa virtus multiplicabilis non est.

Ad difficultatem autem in principio positã, quod artinet ad testimonium Basilij, iam dictum est, illud loqui de notionibus conuenientibus personis secundum proprietates personales, ut constat ex illo Verbo *secundum proprietatem suam.* Quod vero pertinet ad rationem, aliqui conuicti illo argumento dicunt spirationem actiuam, licet videatur conficere originem, quatenus exercet officium referendi, tamen secundum se, & prout est proprietatis quædam, antecedere originem, & complere virtutem spirandi quantum ad id notionale, quod includit. Quia alias virtus illa, quantum ad id totum, quod includit, non esset realiter communis. Item quia si illa nõ potest intelligi notionalis amor per quem Spiritus sanctus producitur.

Hæc vero sententia est manifeste contra D. Thoma quæst. 4. artic. 4. & repugnat his, quæ diximus capite præcedenti. Vnde & ex illis etiam impugnari potest, ob quam illa relatio constituit principium producendi, necessaria sit ad virtutem spirandi, & præintelligi debeat ad actum spirandi. Quia vel est necessaria, ut formaliter compleat virtutem spirandi, & hoc non, quia non complet formaliter virtutem amandi, & quia in libro 1. ostensum est, amorem notionalem non includere formaliter relationem, quod etiam de virtute productiua ad intra ostendimus libro 7. Vel est necessaria solum ut conditio requisita, & hoc etiam dici non potest, quia nec necessaria est ad constituendam personam Patris, vel Filij, supponuntur enim constituta suis proprietatibus, neque etiam vt se mutuo amant, nam ad hoc sufficit infinita voluntas, in qua subsistunt, nec denique vt se amando producant, nam ad hoc etiam satis est, vt in eadem voluntate personaliter subsistant absq; origine per eandem voluntatem, nõ quicquid vltra requiritur, sine causa, vel ratione dicitur.

Dico ergo, virtutem spirandi de formali dicitur absolutum, scilicet, voluntatem, vel amorem, (quod absolutum est per se, ac formale principium quo, talis productionis) connotare autem relationem personalem tanquam conditionem necessariam in principio quod, productiui Spiritus sancti. Hæc ergo conditio non est vnã, & eadem secundum rem in Patre, & in Filio, quia in Patre est paternitas, & in Filio Filiatio, vtraque enim sufficit ad complendam virtutem spirandi, vt in superioribus fuse explicatum est, licet, quatenus intrinsece conueniunt in hoc, quod vtraque est absque productione per voluntatem: hoc enim satis est, vt quælibet illarum personarum possit esse principium per voluntatem producens, imo vnum ex altero necessario sequitur. Neque inde fit, vt virtus spirandi non sit vna, & eadem realiter in veras personas, quia virtus non dicit conditionem suppositi, sed formam

Cap. VI. An duæ personæ per se spirant.

563

formam, quæ est principium producendi, ut si vnâ albedo esset in duobus subiectis, vel superficiebus, vnicum esset formale principium, & vna virtus disgregandi visum in vtraque superficie, licet haberet duplicem extensionem, quæ est conditio necessaria ad disgregandum visum.

CAPVT VI.

An Pater, & Filius spirant vt duæ personæ ad spirandum per se requirantur.

Multi Theologi sentiunt, Spiritum sanctum pro-
cedere à Patre, & Filio, vt vnum sunt, & plu-
ralitatem illam personarum, licet ex parte naturæ
diuinæ sit per se, tamen productionem Spiritus sancti
esse quasi per accidens, sicut ad productionem
creaturarum est quasi per accidens personarum Tri-
nitatis. Ita sentit Scotus in 1. distinctione duodecima
quæstione prima, & in re idem sentiunt Gabr. quæ-
stione prima, articulo primo & secundo, & Duran-
dus distinctione vnde cima, quæstione tertia, licet in
modo explicandi aliquo modo differant. Fundamē-
tum est, quia tota virtus spirandi perfectissima est
in qualibet persona, neque in duabus simul perfe-
ctior est, quam in singulis, ergo ad spirandum acci-
dentarium illi est, quod sit in duabus personis: quia
virtus æque perfecta, æque operari potest, siue sit in
vno, siue in multis suppositis. Et confirmatur primo
nam ob hanc causam ad creandum non requiruntur
per se plura supposita, quia virtus creandi æque
perfecta est in singulis. Vnde confirmatur secundo;
nam si per impossibile Pater non produceret per
intellectum, & haberet voluntatem secundam, si-
cut nunc habet, posset producere amorem, qui esset
Spir. S. ergo quod nunc non solus, sed cum Filio pro-
ducatur Spiritum sanctum, non ideo est, quia per se
requiritur concomitantia alterius personæ ad illam
productionem, sed quia alias ex fecunditate intel-
lectus diuini necessario supponitur simul cum Patre
alia persona Tandem confirmat Scotus, quia si pro-
pter aliquod essent necessariae duæ personæ, maxime
quia Spiritus sanctus procedit, vt nexus, & mutus
amor Patris, & Filij, iuxta Aug. 6. de Trinitat. c.
5. at hoc non refert, quia illa locutio solum addit de-
nominationem rationis, quæ nullam perfectionem
addit, nec potest esse necessaria conditio ad spiran-
dum. Vnde sine illa posset integre, & perfecte produ-
ci Spiritus sanctus.

Contrariam sententiam tenent communiter dis-
cipuli D. Thom. quam bene traçat Caiet. 1. p. qu.
33. art. 4. vbi etiam Torres, & alij, Ferrar. 4. contra
Genr. cap. 25. Capreol. in 1. dist. 12. qu. 1. concl. 4. &
idem sentit Marfilus in 1. q. 15. art. 3. Henric. 1. part.
summ. artic. 54. qu. 6. Fauet Diuus Thomas in 1. d.
11. qu. 1. art. 2. & articulo. 4. ad 2. Nam in hoc ponit
aliquid discrimen inter emanationem Spiritus sancti
à duabus personis, & creaturam à tribus. Et 1.
p. q. 36. art. 4. ad 1. dicit, Spiritum sanctum procedere à
Patre, & Filio quatenus plures personæ sunt, indicans illam
pluralitatem aliquo modo per se requiri ad talem
productionem.

Hęc sententia suaderi potest, quia productio amo-
ris per se supponit productionem per intellectum,
& amor ipse per se procedit, & ab intelligente, & à
Verbo concepto, ergo cum Spiritus sanctus proce-
dat vt amor, eius processio per se supponit processio-
nem Verbi, & ipse Spiritus sanctus per se procedit
à Patre, & Verbo, vt distincti sunt. Hęc vero ratio
non conuincit. Recte enim respondet Scotus ad pri-
orem partem, licet amor supponat per se intelligen-
tiam: tamen quod amor fecundus, seu productiuus
supponat etiam intelligentiam fecundam non est
per se, seu consequens per locum intrinsecum, vt au-
tunt. Nam si per impossibile fingamus voluntatem

esse magis fecundam quam intellectum, vt posse-
dari productio per voluntatem, satis esset suppone-
re intelligentiam, quamuis sterilem (vt ita loquar) &
tunc productio amoris esset ab vno, & non à duobus.
Vnde quod dicebatur de productione amoris à Ver-
bo, tunc non haberet locum, quia non esset propriū
verbum productum, sed conceptus essentialis, & ideo
non est formaliter dictum, quia amor, vel produ-
ctio amoris per se non supponit dicere, sed intelligen-
te, quod per se loquendo esse potest in eo, qui nō pro-
ducit verbum. Et præterea, in nobis iuxta veriorē
sententiam, verbum non est principium actiuum, &
productiuum amoris, & in Trinitate diuinum Ver-
bum non est principium Spiritus sancti ex eo præci-
se, quod est Verbum productum, sed ex eo, quod est
Verbum intelligens, & consequenter est simul cum
Patre amans.

Sed additur secunda ratio, quia hoc ipsum est de
intrinsicâ ratione, & notione Spiritus sancti, scilicet,
quod procedat à duabus personis inuicem se aman-
tibus. Tum quia est amor, non vt cumque, sed vt ne-
xus duorum, vt ex Augustino referebam, & tradit
etiam D. Thom. 1. p. q. 37. artic. 1. & dicemus inferius.
Tum etiam, quia Spiritus sanctus est amor perfe-
ctus, pertinet autem ad perfectionem amoris, vt sit
per modum amicitie, & concordia inter plures, vt sit
late profequitur Richardus de sancti. Viçti, libr. 3. de
Trin. cap. 7. & sequentibus. Veruntamen hæc ratio
conuincit quidem de facto, Spiritum sanctum pro-
cedere à duabus personis: quia de facto est nexus duo-
rum, non vero probat, hoc per se conuenire Spiritui
sancto ex vi suæ proprietatis personalis. Quando e-
nim Aug. dicit Spiritum sanctum esse nexum, non
dicit, denominationem hanc illi conuenire sub illa
formalitate, seu perfectitate, sed solum de facto ita esse.
Neg. etiam hoc formaliter pertinet ad rationem, vel
perfectionem amoris, amor enim Patris quatenus
diligat se ipsum, non minus perfectus est, qua sit a-
mor Patris, & Filij, quatenus se mutuo diligens, ergo
si esse posset Pater prima persona se ipsam diligens,
absq. Filio, non minus esset productiuus per amorem,
quantum est ex perfectione amoris.

Ego breuiter in hac re sentio, aliud esse loqui for-
maliter, ac præcise de productione amoris, vel Spi-
tus sancti, vt sic, aliud vero de productione huius
tertiæ personæ in indiuiduo, quatenus per hanc pro-
prietatem personalem constituitur ex vi suæ proces-
sionis. Primo ergo assero ad productionem amoris,
vel Spiritus sancti per se non esse necessariam plura-
litate personarum. Hoc videntur mihi conuincere
tam rationes factæ pro opinione Scoti, quam ex his,
quæ dictæ sunt circa rationes secundæ opinionis. Hoc
etiam videntur mihi supponere sanctus Thom. Scot.
& omnes, qui interrogant, si Spiritus sanctus non
procederet à Filio, an distingueretur ab illo, suppo-
nunt enim in tali hypotheti processioem à solo Pa-
tre mente conceptam, ac subinde quod sit ab vna tã-
tum persona. Denique ex creaturis possumus argu-
mentum sumere: nam in eis est processio amoris, &
verbi, & vtraque est ab vna persona tantum, propter
ea, quod verbum productum à creatura imperfectū
est, neque est persona amans, nec intelligens, quod er-
go in Deo processio amoris, sit à duabus personis, nō
est formaliter, ac præcise ex perfectione amoris, sed
ex eo, quod verbum productum est perfectum, ac
personaliter subsistens, & eadem voluntate cum Pa-
tre amans.

Secundo nihilominus assero, ad productionē Spi-
ritus sancti in hac numero personali proprietate quæ
nunc habet, conditionem necessariam fuisse, vt vir-
spirandi prius ratione, seu origine in duabus perso-
nis Patris, & Filij personaliter subsisteret. Probatur
ex principijs positis, quia Spiritus sanctus prout
nunc procedit, ex vi suæ proprietatis dicit habi-
tudinem relatiuam ad Patrem, & ad Filium, ergo
per se

1. Opinio.
Fundamē-
tum.

4. Ratio.

5. Assertio 1.

6. Assertio 2.